

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Consideratio status damnatorum, quod actiones ipsorum inprimis malas, concernit**

**Fecht, Johann**

**Durlaci, 1680**

LXX.

[urn:nbn:de:bsz:31-122744](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122744)

à longanimitate DEI ad terminationem peccatorum infernalium colligi possit? Istà verò probè cognitâ, ita concludi posse videtur: Quando desinit longanimitas Divina, desinit peccatum, quippe, quod est objectum longanimitatis. At tempore extremi iudicii & iræ Divinæ desinit longanimitas Divina. Rom. II. 5. Ergo tempore extremi iudicii desinit peccatum. Minor amplius probatur hoc modo: ubi desinit proprius finis longanimitatis, ibi ipsa desinit longanimitas. At extremo iudicii die. Ergo. Minor indubitata est ex iis, quæ hætenus disputavimus.

LXX. Prodit nunc argumentum decimum, ab exemplo Christi, qui infernales pœnas sine ullo peccato sustinuit, depromptum. Sive enim peccatum sit de essentiâ pœnarum infernalium, sive indivulso & necessario nexu illis conjunctum, pati Christus infernales cruciatus non potuit, nisi simul peccaret, aut si sine peccato eosdem passus est, cum damnatorum statu peccatum non erit ullâ necessitate connexum. Jam verò Christum infernalibus supplicia nostri causâ verè gustasse, fides catholica extra omne dubium ponit. Eam enim pœnam subiit, quæ, qualisque nobis debebatur, quæ peccato in iudicio divino destinabatur, quæ DEO irato satisfaciebat, eundemque placabat & quâ toleratâ, impunitatem nos consequi poteramus. Talis autem non est alia, quam infernalis. Præterea Christum ubique sine ullâ peccati labe fuisse, haud minus indubitatum est. Quod si dicas, circumstantiam duntaxat aliquam & accidens pœnæ infernalis esse peccatum, quod, salvâ inferni, ut ita loquamur, essentiâ abesse à pœnâ possit, & adesse tamen, ut eandem non tollat; hoc saltem infertur, aliquos esse infernalis barathricives, qui peccatis nullis sint commaculati; & præterea multis argumentis, pro peccato damnatorum concludentibus, vires roburque succidi, quo minus pro opinione affirmante rectè colligant, vel, si vis aliqua iis constet, fore, ut Christum eidem peccato involvant. Aut enim argumenta ista hanc conclusionem necessariò inferunt: Ergo damnati peccant; & sic quoque Christus peccabit, quippe iudicio divino ob aliena peccata damnatus; aut contingenter duntaxat: & sic nihil certi pro sententiâ contrariâ concludetur. Argumentum hoc ita pingit R. Bellarminus, lib. IV. de Christi Anim. c. IIX, *Pœna damna-*



eorum includit essentialiter desperationem salutis, sicut felicitas includit certitudinem salutis nunquam amittenda. Spes autem cum desperatione consistere non potest. Ergo Christus vel simpliciter desperavit, vel verè non pertulit penas damnatorum & proinde non verè nos liberavit. Præterea, quando Christus emisit verba desperationis, vel emisit deliberatâ voluntate, vel non. Si primum, ergo verè desperavit & peccavit. Si secundum, ergo in Christo fuit inordinatio passionum, quandoquidem potuit metus prævenire rationem & extorquere vocem desperationis invitâ voluntate. At hoc est contra Calvinum.

LXXI. Devolvimur nunc ad argumenta Hugonis Sanfordi, & Roberti Parkeri, virorum doctissimorum, quibus præsentem sententiam magno nisu propugnant. Undecimo igitur argumento servit illustris locus, Rom. VI. 7. quem proinde necesse est in suâmet & peregrinis linguis audiri. Græcus textus: ὁ ὄντων θάνατον δὲ διέκαταρται ἀπὸ τῆς ἀμαρτίας. Vulgata versio: Qui enim mortuus est, liberatus est à peccato. Bezzæ: Etenim, qui mortuus est, liber est à peccato. Lutheri: Dann/wer gestorben ist, der ist gerechtfertigt von der Sünde. Sanfordus igitur ex hoc loco ita colligit: Recepta sapientum opinio est, in inferno non peccari, quæ & certissima ratione nititur. Etenim diserit Paulus, Rom. VI. 7. Qui mortuus est, à peccato liber est. Quod Ambrosius, (Com. in Epist. ad Rom. VI. 4.) non immeritò ad omnes naturaliter mortuos extendit: qui moritur, peccare desinit, sic ut mors finis peccati sit. Accedit Chrysostomus: (Hom. X. in Rom. VI. Tom. I V.) Qui mortuus est, justificatus est à peccato. De quovis ista homine dicit, nimirum, quod, qui moritur, liber jam est à peccato, quamprimum mortuus deponitur. Quisquis moritur, utique jam amplius peccare non poterit. Vis argumenti plana est: Nullus à peccato liberatus peccat; Omnis mortuus, adeoque & omnis damnatus, à peccato liberatus est. Ergo: Nullus damnatus peccat. Ut majoris veritas evidentiore sit, notat Sanfordus, vocem: διέκαταρται, hoc loco non vulgari sensu, qui est absolvere à peccatis, (multi quippe à peccatis absoluti in peccatum relabuntur) sed proprio usurpari, qui est liberari à peccato & mundum fieri. Nam eundem sensum & contextus capituli illius, in cujus versu 18. Το, δὲ διέκαταρται ἀπὸ τῆς ἀμαρτίας, PER: ἐλευθεροῦντις ἀπὸ τῆς ἀμαρτίας, exponitur, requirit, & veteres pariter atque recentiores agnoscunt. Ex veteribus in hanc rem allegantur, Ambrosius

at-